Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Groeninghen

Bertius, Petrus

[Amsterdam], [1616?]

urn:nbn:de:gbv:45:1-314652

Visual Library



Farbkarte #13
B.I.G.
Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black
Landesbibliothek Oldenburg

C4 82

Princeps miſer tantum non infaſcinatus, paſtoribus Eccleſiæ qui contra aliquid vel apud ipſum vel in Rep. auderent graui interminatione a propoſito deterritis. Ita omnia rabies opplerat. Iamque eo Auguſtus cum Cæſarianis progreſſus fuerat, vt excitatis molibus interior vrbs tota ipſius conſpectui pateret, nec contra tormentorum vim vallo amplius ciuitas tegeretur; Præſidiarij quoque elapſo trimeſtri quo fidem Ioanni Friderico obſtrinxerant, circumſpectabant quis exitus belli futurus eſſet, de ſua ſecuritate ſolliciti; & ciues Gotthani deficiente commeatu, ægre ferebant ſe in eas anguſtias redactos: quum forte præſidiarij milites in arcem euocati ab Hieronymo Bredenſteynio militum tribuno, vrgebantur vt nouo iuramẽto ſeſe in futurum obſtringerent: Id quum omnes vno ore facturos ſe negarent, ortus eſt tumultus, cui ſe ciues iunxerunt. Ita capta arce depoſcuntur proſcripti, capitur Bredenſteynius; educitur e latibulo princeps factionis Grunbachius, tum Guilielmus Steinius omnium conſiliorum particeps, & Cancellarius Principis Chriſtianus Brukius, & Ioannes Beierus, vno elapſo Zobicio percuſſore Epiſcopi Herbipolenſis. Hi omnes ex arce in curiam vrbis ducti ſunt: Poſtea ex voluntate Ioannis Friderici petitur, vt dies condicatur, quo per delegatos de pace agatur, deque dedendis proſcriptis. Aberat autem tunc Elector Auguſtus, profectus Caſtellum Cattorum cum Ioanne Guilielmo ad exſequias Philippi Lantgrauij: qui ſimulatque rediit, haud inuitus conſenſit in hæc capita, Vt Ioannes Fridericus ſe, vrbem, & arcem cum apparatu omni bellico, commeatu, & fiſco reddat Cæſari. Vt proſcripti in manus Electoris tradãtur. Vt armati intra quatuor horarum ſpatiũ vrbe & arce exeant ſine tympanis, traditis in arce ſignis ſuis. Vt oppidanis vita fortunæ & immunitates omnes integræ ſeruentur, Vt ijdem iurent nunquam ſe contra Cæſarem, Imperium, aut Saxonem Electorem arma ſumpturos. Vt Ioanni Guilielmo obſequium promittãt, præſtentque, excluſo omni ſucceſſionis iure Friderico fratre & natis ex illo filijs: addito, Si contingat Ioan. Guilielmum ſine maſcula prole decedere, tunc ad Septemuirum Saxonem eiuſq; hæredes Ducatum deuolutum iri, atq; his deficientibus, ad Haſſiæ Lantgrauium. Ita XVII Kal. Maij ingreſſus vrbem Auguſtus victor, potitus eſt proſcriptis illis factioſis: de quibus poſt quæſtionem & tormenta ſumtum eſt ſupplicium XVI Kal. Maij. Grumbachius & Brukius viui diſcerpti & ſecti in quatuor partes. Steinius capite primum truncatus, poſt diſſectus eſt. Bredenſteinio idem factum. Beierus laqueo ex patibulo ſtrangulatus eſt. Machinæ bellicæ CLX diuiſæ inter Auguſtum & Ioannem Guilielmum. Inde ex decreto Comitiorum Ratiſponenſium itum ad demolitionem arcis Gothanæ, quæ iam aliquamdiu ſeditioſorum ac perduellium fuerat receptaculum. In conuentu Erfurdiæ celebrato deprehenſum eſt, ſumtum eius belli fuiſſe 953630 florenorum: arcis demolitionem conſtitiſſe 55549 florenis. Ioannes Fridericus Saxo captiuus triduo poſt deditam vrbem Viennam ad Cæſarem miſſus, inde Neuſtadium Auſtriæ in carcerem abductus eſt. Cuſi quoque memoriæ cauſſa numi argentei cum hac epigraphe, TANDEM BONA CAVSA TRIVMPHAT.

ALBERS 082
Karten 0034

Landesbibliothek Oldenburg